

FRANCISCI PATRICII  
PANCOSMIAS  
LIBER SEXTUS  
*DE PRIMÆVO FLUORE.*

Si corpora omnia per spacium congenitum, sunt trine dimensa sunt corpora. Si per lumen sunt visibilia. Si per calorem, et constant, et vivunt, magno merito hæc tria corporum omnium dicentur elementa esse, ex quibus ipsa constento, et in quæ resolvantur, si resolvi eis contigat, unquam, ita esto. Corporum vero antytipia, seu antæresis, seu dicas resistantia, unde nam fuerit? Trinam quidem dimensionem a spacio habent congenito, quod spacii primævi, pars est quædam. A lumine, ut sint vel lucida, vel diaphana, vel etiam opaca, ut partim est ante demonstrabitur postea. A lumine habent etiam calorem, a calore essentiam, et vires, et actiones. Antitypam, a quo nam habebunt? A re nimirum, quæ resistantiam vel indere, vel inferre possit. Eam nos, fluorem, seu humorem, nominamus. Veterum multi, dixere aquam. Eamque vel principale elementum posuerunt, exquo omnia fierent, vel unum est quatuor esse voluerunt; quæ mundum hylæum, constituunt, et quæ corpora omnia mista conficiunt. Thales, quidem, inter Græcia sapientes nominis magni, Princeps elementum, aquam posuit. Sed altior huius dogmatis est origo. Homerus enim cecinit.

Ωκεανὸν θεῶν γένεσιν, καὶ μητερὰ τηθύν.

Oceanum, Deorum genituram, et Matrem Tethyn.

Deorum scilicet qui sub coelo sunt omnium.

Sed is suæ stirpis vetustissimum Orpheum est secutus.

Qui multis seculis ante, id ipsunt docuerat:

Ωκέανος ὅσπερ γένεσις πάντεσι τέτυκται.

Ωκέανος πρῶτος, καλλιρόου ἥρξαι γάμοιο.

Οσρα κασιγνήτην, ὁμομήτορα, Τηθύν ὄπειεν.

“Oceanus, qui genitura cunctis est

Oceanus primus, pulchrifluas cœpit nuptias.

Qui sororem eadem matre genitam Tethyn iniit”.

Sed nullo mystico fabularum velamine, aliter cecinit.

Εστὶν ὕδωρ ψυχὴ, θάνατος δ' ὕδάτεοσιν οἵμοιβὴ.

Ἐκ δ' ὕδατος γαῖα: τὸ δ' ἐκγαίας πάλιν ὕδωρ.

Ἐκ τοῦ δὴ ψυχῆ, ὅλον αἰθέρα ἀλλάσπουνσα.

“Est aqua animus. Mors aquis est permutatio

Ex aqua, terra, ex terra vero, rursus aqua.

Ex quo, animus totum æthera mutat”.

Hanc doctrinam videtur Orpheus in Ægypto didicisse. Est enim apud Hermetem, in hanc sententiam. Tenebras mutatis in humidam quandam naturam.

Ως εἰκάσαι μὲ εἰδότα μεταβαλλόμενον τὸ σκότος εἰς ὑγρὰν τινὰ φύσιν ἀφάτως τεταραγμένην.

“Ut videret me videre tenebras mutari in humidam quandam naturam, indicibiliter turbatam.”

Quasi idem hoc sit cum illo Mosis. Et tenebrae erant super faciem abyssi.

Profundissimæ nimirum aquæ. Fit et alia aquarum mentio a Mose satis multa.

“Et spiritus domini ferebatur super aquas”.

Et. “Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis”.

Deus bone, quid hoc rei est? Divinus Plato, divino huic oraculo, nulla ratione adhibita, assensum libentissime dedisset. Peripateticus Aven Rois, e contra nullam ei fidem habuit. Quia Moses, ut ipse aiebat, multa diceret, probaret nihil. Atque idcirco, tribus, ut solet ipse dicere, loquentibus in lege, nihil credidit. Rationem in omnibus requirit, sed non aliam quam Aristotelicam. At hoc non magis philosophicum est, quam sine ratione loqui.